


QUID

LIBYCÆ GEOGRAPHIÆ

AUCTORE PLINIO

ROMANI CONTULERINT

LUTETIÆ PARISIORUM
EX TYPIS J.-B. GROS ET DONNAUD,
VIA VULGO DICTA CASSETTE, 9.

QUID LIBYCÆ GEOGRAPHIÆ AUCTORE PLINIO ROMANI CONTULERINT

HANC THESIM

PROPONEBAT


FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

L. A. JOSEPHUS MICHON

Nobis rimari illa, et conjectura ire
in occulta tantum licet, nec cum
fiducia inveniendi, nec sine spe.

(SENECA.)




LUTETIÆ PARISIORUM

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

IN VIA DICTA AB EGRESSU, 7

MDCCCLIX


HARVARD COLLEGE
AUG 1922
LIBRARY

DILECTISSIMIS

AVO

PATRI MATRI.

D D D

INDEX RERUM.

—

CAPUT I.

De Plinii ingenio et auctoribus in Libya describenda.

Aliquis forsan miretur, quod ego, Libycæ geographiæ curiosus, Plinium imprimis magistrum ac patronum adoptaverim. Etenim consentitur hunc scriptorem omni critica arte fuisse destitutum. Quid vero? quum rem tam obscuram, tot fabulis immixtam, susceperim, quî fit ut eum ducem elegerim, qui, incertus viæ, errores ambagesque itineris nec sibi nec cæteris queat explicare? Quî fit ut, Strabone, P. Mela, Ptolemæo desertis, ad virum confugerim, ex occasione modo geographum, qui ad id unum huic scientiæ indulsit, ut in universo de natura opere pars ea quoque non deficeret, qui denique non opus geographiæ causa, sed geographiam gratia operis composuit? Duplex igitur mihi crimen est eluendum.

Scientia quælibet, ut clarissimo viro lepide dictum est, simillima est ædificio; quod quidem non possis exstruere, nisi quis calcem, arenam et lapides adsportaverit. Nos autem qui melius ac certius geographiam, ipso annorum lapsu, ipsa præteriti experientia, tractare assuevimus, quum respicimus ad antiquos, materiam quærimus, non artem ædificandi. Non satis Libya, veterum temporibus, nota erat, ut quis criticus documenta seligeret, alia quæ omitteret, alia quibus uteretur; potuerunt viri sagacissimi ea rejicere quæ nobis hodie maximi sint pretii. Quis autem quam Plinius, documentis

ditior unquam fuit? Quæ pars operis Pliniani testimoniis abundantior, quam Libyæ geographia? Nam Plinius ad eam componendam ex multis hausit fontibus, quorum quidem pauciores ad nos defluxerunt; plures ante nostra tempora fuerunt extincti! Ita, non sua, ut ita dicam, laude commendatur, sed aliena, quum nobis reddendo servaverit veterum opera, barbarorum ignorantia diruta, non tam, quia supervixit , nobis gratiosus, quam quia cæteri perierunt!

Nobis enim Plinii opus aggredientibus, ut Tullio Academiam intranti, clarissimi obviam assurgunt antiquitatis viri.

Non nostrum recensere est omnes geographos quos ille annumerat, sed eos tantum qui de Libya scripserunt, nec quidem perpaucos. Herodotum scilicet et Polybium et Diodorum inter Græcos; inter Romanos S. Paullinum, C. Nepotem, P. Melam, imperatorem Claudium; Hannonem et Jubam inter Afros. Ex his omnibus scriptoribus, tres tantum, barbaris barbariæ que erepti, supersunt, Herodotus, Diodorus et Mela.

Unus Plinius nobis Polybii periplum retulit. Non tacet ætas antiqua de Polybii virtutibus, non tacet ipsa nostra ætas, quamvis ad nos non devenerint omnes libri annalium quos scripsit. Ea autem pars operis tota amissa est, qua geographiam quoque, confectis itineribus, tractaverat; sed Strabonis, non aspernandi certe auctoris, testimonio compertum est eamdem Polybio fuisse in geographia tractanda sagacitatem, eumdem animum, eamdem denique ingenii lucem, qua eximii viri et ipsi ducuntur et cæteros illuminant. Gratissimum mihi fuit videre Strabonem Polybii partes defendentem. Felix uterque, quum alter Polybii memoriam longius produ-

cere potuerit, alter à Strabone laudari! Polybius ille, sui temporis erroribus et religionibus non impeditus, profitebatur posse homines sub æquinoxiali vivere, imo veteres hunc circulum supergressos fuisse. Ipse, in ignotum mare provectus, negatum illum humano generi finem fere attigerat.

Ut Polybii sic Nepotis amissa est geographia: sed hunc omnes antiqui geographi gravissimum auctorem habuerunt. Nec mihi injucundum fuit virum, cui puer assueveram, etsi ex truncato tantum, ut aiunt, opere novissem, rursus inter propositos mihi geographicorum studiorum magistros revisere.

Nunc ad virum deveni, qui, in rerum publicarum historia famosior, meritam in litterarum republica laudem non obtinuit. Scriptori enim obfuit imperator et maritus. Qui autem italicas origines, his in temporibus, acerrimo studio investigant, se profitentur ipsius Varronis opera jam non desideraturos si Claudii libri restituantur. Nos quoque non admodum lugeamus amissos Carthaginis annales, si opus de punicis rebus barbariem evasisset.

Multum de Hannone disputatum est: incertum est quo tempore vixerit; nonnulli quin exstiterit dubitavere; alii servatum ejus periplum pretiosissimum geographiæ monumentum habuere; alii partem esse ipsius peripli truncatam contenderunt; sunt qui mendacem a recentiore quodam fabulam compositam esse crediderint. De viro nihil certum possumus affirmare : de periplo postea dicemus.

Gravis quoque auctor Plinio fuit Juba, qui disciplinas et geographiam imprimis liberali industria prosequebatur. Scio quidem Jubam de orientali Libya et de Arabia,

ut romano principi rex servus placeret, scripsisse, a bulasque de his terris, ut Caium alliceret, aggerasse. Sed nemo apud veteres occidentalem, nemo præsertim interiorem Africam melius novit, quum scientiæ amantissimus, divitiis pollens, commercio cum cæteris indigenis documenta quam pretiosissima sibi compararet.

Ideo, quum de Lybia Plinium percontamur, non hunc unum virum interrogamus, sed potius, veluti bibliothecam illustris viri nomine decoratam ingressi, cum omnibus qui hic habitant scriptoribus sermonem habemus.

Sed si aliena, sunt quoque sua et propria Plinio merita. Quum enim studiorum varietate naturam fere totam sit amplexus, cæteras quoque partes in geographiæ auxilium vocat; non aride tantum loca describit, sed de animalium, plantarumque generibus loquitur, quæ nos, iisdem in regionibus, et hodie reperimus; indicat quos quæque tellus fructus ferat, quæ venena, quæ medicamenta, quæ metalla; qui populi quibus moribus degant, quos deos colant, quibus vocibus utantur, quomodo leones ac feras ab domibus propulsent; quæ sint domus, casæ aut speluncæ; qui victus, ferinane an humana carne, piscibus an lacte canum, vescantur?

Sed ea omnia sunt extra geographiam, nec geographo, nisi summo operis sui detrimento, licuisset memorare. Quum autem Plinius, ingentioris operis facultate, non omiserit, nos propositis divitiis utamur, parum curantes utrum a geographo, an a philosopho vel physico acceperimus.

Fateor enim Plinium non fuisse vere geographum, si geographia aut systemate, aut mathematica tantum fundanda est. Sed si quid historia potest, ne e geographorum numero Plinius ejiciatur. Quippe historia est geographiæ

acceptissima comes ; altera narrationes, altera testes producit, altera res, altera locos ; altera sententias, altera monumenta, ad evolvendos generis humani annales, exstruit atque ordinat. Nihil aliud est historia in geographia quam civitas in urbe; altera deficiente, mœnia quidem exstant, vita exstinguitur! Systemata geographiæ discimus, astronomicam geographiam contemplamur, historicam amamus! Plinius autem, e magna Sallustii, Livii, Taciti gente, historici partes gessit. Qui libros de Germania celeberrimos composuerat, naturæ historiam nobis reliquit. Quidquid hoc in opere est, historia est historiæ sunt hi libri : « Quibus continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuræ populi qui sunt aut fuerunt ! »

Quæ quum ita sint, nos qui non Libyæ formam ac figuram a Plinio ediscere propositum habemus, sed perspicere quid notitiæ de hac arcana terra Romani sibi compaverint, neminem alium, qui nos moneat, aut pluribus documentis instructum, aut varietate uberiorem, reperiemus. Plinius contra et ingenio, et tempore quo vixit, in hunc usum nobis reservatus fuisse videtur.

Mihi noster apparet perfecta quædam et absoluta ingenii romani imago. Quamcumque paginam excipienti, quemcumque librum evolventi manifestum erit Romanum scripsisse. Quanto ardore civium patriæque laudes extollit! quanta injuria Græcos, a quibus tam multa mutuatur, conatur elevare! Quum ad agriculturam devenit, majores suos, veteres illos Romanos, quanto amore prosequitur! Periit agricultura, sed romanus ille agriculturæ amor in romano Plinii animo non periit. Roma Deos colere desuevit; Deos irridet Plinius; sed religiosa

illa superstitio, antiquorum temporum hæredium, pietati supervixit apud incredulum Plinium non exstincta. Eadem ille mente geographiam tractat; itinera ducibus peracta, urbes coloniis, id est imperio faciles, oppida, castella ad augendam Romæ potentiam investigat atque occupat. Non oblitus est, quam regionem dux ille armis pacaverit; de qua terra hic imperator triumphaverit, quibus conditionibus victis ignoverit; qui montes auro et argento referti sint, quæ maria delicatos pisces abscondant, qui saltus exquisitas feras alant. Ubique et romana bella et romanum nomen requirit, ubique geographiam quasi romanarum annalium partem evolvit, ita ut fere videatur, ut Neptunus equum in pugnam, sic geographiam in romanam utilitatem laudemque Plinius instruxisse.

Ea autem ætate Plinius scripsit qua per Libyam res romanæ longius progressæ sunt. Intra quinquaginta fere annos, Claudius Mauritaniam subegerat, Paullinus Atlantem perlustraverat, triumphaverat Balbus de Garamantibus, jussuque Neronis, exploratores fere usque ad Nili ipsius fontes pervenerant.

Dum scriberet, Plinius in manu tenebat harum expeditionum monumenta; recentem ac vividam tot victoriarum famam ex omnium ore colligebat; imo ex ipsis militibus, qui tot laborum partes fuerant, documenta poterat acccipere.

Ergo, non modo opus inchoantibus licebat Plinium nter tot tamque eximios geographos, quem sequeremur, eligere; sed ingenium scribentis, tempus quo scripsit, scriptorum acceptissima varietas illum ipsum magistrum rei, quam tractandam suscepimus,ut ita dicam, accommodaverant.

CAPUT II.

DE ROMANA LIBYÆ GEOGRAPHIA.

Remotissima ætate, Græci septentrionali Libyæ oræ colonias imposuerunt, in ea præsertim parte, quæ Syrtibus adjacet; in fertilibus Cyrenaicæ terris commercia cum indigenis instituerunt, et ita, dum essent scientiæ semper avidissimi, nonnulla documenta de interioribus terris sibi comparaverunt.

Alexander victoriis Ægyptum aperuit, ubi græcam vere urbem Alexandriam condidit. Mox, Ptolemæis regnantibus, junctus cum Nilo Arabicus Pontus, Mediterranei maris ipsius quasi sinus patuit. Tunc omnia ad Orientem littora perlustrata sunt. Eruptum est in Indicum oceanum quem jam navigaverant Alexandri classes; Græcique se immiscuerunt huic commercio quo semper orientalis Libya et India, certo ventorum flatu, sociatæ sunt. Hinc nota orientalis Libya, eo magis quod, ea ipsa commercii necessitate, reges Ptolemæi arma, seu mari, seu terra, quam longinquissime tulerunt.

Ita Græcorum munere septentrionalis et orientalis Libyæ geographia profecit.

Reliqua vero pars romanam penes laudem est, non quia primi Romani has terras inviserunt, quum credere sit Pœnos et Occidentem et interiores terras latius penetrasse quam Romani unquam ingressi sunt; sed quia, dirutis eversæ Carthaginis annalibus et monumentis, Pœnorum hæredes Romani evasere.

Romana in Libya geographia prorogata est navigationibus, itineribus et commerciis; navigationibus oræ et

insulæ, itineribus interior tellus, commerciis populi et populorum mores cogniti sunt. Navigationibus et itineribus certus terminus fuit; inde certa fuit ea geographia. Etenim nautæ omnium quæ invenerant rationes conferebant, duces itineraria successoribus profutura summa cura chartis commendabant. Commerciis contra nomades populi e media Libya divitias, ut et hodie, exportabant, et interrogantibus multa renuntiabant, vera falsaque, prout narrantis ingenium suaderet; hinc multæ absurdiores fabulæ de interiore Libya geographiam inquinavere; hinc quoque nonnullæ de extremis Libyæ partibus notiones allatæ sunt, quas per se Romanos aut veterum quemquam comparasse nemo contendet.

Sæpius classes romanæ in oceanum exierunt, et Mauritaniarum oris usque ad Atlantis pedes appulerunt. Audaciores quædam naves, desertas arenas præterlapsæ, aliquando longius navigabant; sed unus apud Romanos, Polybius, Scipionis legatus, ultimum veteribus in eo littore promontorium attigit.

Multæ fuerunt in interiores terras missæ expeditiones geographiæ certe non inutiles; sed triumphalis pompæ causa, duces nullum omittentes aut collem, aut rivum, aut tugurium, etsi mensuras non corrumperent, nobis, ut plebi romanæ, longiora itinera, quam reipsa confecerant, mentiebantur. Paullini nempe et Balbi expeditiones, longo licet inauditorum nominum ordine, non solitudines et Atlantem transductæ sunt. Sed Mauritania armis Claudii aperta est, tellus ad hunc diem Romanis clausa, hodie alienigenis nondum tuta. Sed præsertim Neronis exploratoribus patuerunt remotissimæ Nili ripæ.

Hoc nempe, geographiam apud veteres scrutantibus ,

cavendum est, ne nimio veterum amore, negatam nobis pernotæ totius fere Libyæ laudem illis tribuamus; non segniore vero cura cavendum, ne, nostra experientia exsultantes, inter arctiorem finem patres nostros includamus, contendentes, vel minimas solitudines exercitibus, vel brevissimas arenas navibus, non superandos carceres, obstitisse.

Respondent omnes antiqui geographi; respondet Plinius, non tantum geographus, sed naturæ viventis interpres, quum animalia in Libya recenset, quæ cognoscere certe non potuerit, nisi Romani, aut ipsi regiones, quibus ea degunt, inviserint, aut cum harum regionum incolis commercium inierint.

Plinius de ea bestia loquitur quæ appellatur rhinoceros. Rhinoceros autem in australi aut in æquinoxiali tantum Libya habitat, frigorum quam maxime impatiens, et rarissime in Abyssinia reperitur.

Eadem fere de camelopardo. Eadem de hippopotamo, ferventium regionum incola. Quiquidem, Nilum ex ipsa æquinoxiali terra labentem comitatus usque in Ægyptum, soli nostro assuevit. Sed Ægyptus, non longe ab Europa distans, multo fervidiore cœlo solvitur. Verum occidentali in ora nusquam prius hippopotamus agnoscitur quam in flumine Senega. Quem tamen Plinius memorat ingentis amnis *Fut* aquas tenentem.

Quis non ingentes simias, gorgones aut gorillas illas, Hannoni visas, reputat? *Chimpanzæ* et *Gorillæ*, isti hirsuti homines, vel satyri, torrida zona tantum lætantur, nec ultra tricesimum gradum migrare solent.

At, dicet aliquis, quam fidem Plinio de Libyæ animalibus scribenti adhibebimus, quum monstrosas fabulas aggeraverit de leucrocota aut monocerote, aut ca-

toblepate? Quis autem non miretur, quum interius Libyam illam scrutantur, viatores ea animalia cernere quæ monstrorum Plinio, etsi ipsi incredulo descriptorum, fere exactam reddant imaginem? « Leucrocotam, ait Plinius perniscissimam feram, asini fere magnitudine, cruribus cervinis, colle, cauda, pectore leonis, capite melium, bisulca ungula, ore ad aures usque recisso, dentium loco osse perpetuo. » Multos post Plinium annos, videre fuit in bibliotheca principis NASSAU, imaginem bovis pacassi (1), eadem fere figura, nisi quod essent dentes pro osse continuo, osque melium similius cervorum ori videretur. Quam bestiam SWAINSON affirmat in ultima Libyæ occidentalis parte inveniri. Ecce autem his fere annis in australi Libya, longe ultra æquinoctialem circulum, similem bestiam reperere viatores, virque, multis itineribus functus, pellem retulit VERREAUX, quæ Lutetiæ, omnium oculis proposita, in celeberrimo naturalis historiæ Musæo asservatur. Quæ autem bestia non bos habetur, sed antilops *Gnou* (2).

Ipse quoque in eadem Libyæ parte vivere creditur monoceros, cui fidem adhiberi CUVIER indignabatur. Constat apud interioris Libyæ populos hanc bestiam non fuisse a poetis fictam; omnes etenim hujusce regionis Nigrites in unum hoc conveniunt; cujus feræ imaginem, non peritissime quidem delineavit vir princeps, ABD-EL-DJELLIL, imperatoris BELLO propinquus, Europæis amicissimi. Qui quum Lutetiæ commercio viri excellentis Isidori GEOFFROY SAINT-HILAIRE uteretur, et hic delineasset monocerotem, immobile in fronte cornu

(1) *Delineations of the ox tribe*, by Georges Vasey. London, 1851.

(2) Alfred Maury. *La Terre et l'Homme*. Ch. V.

gerentem, stylo arrepto ipse depinxit et cornu mobile esse nutu significavit. Hoc autem non supervacuum est animadvertere ea animalia, si vere sint, Plinio quidem memorata, in remotissimis Libyæ plagis vivere.

Quis Plinium non fabulantem crediderit, quum narrat : « Crocodilum saturum cibo piscium, et semper esculento ore, in littore somno datum, parva avis, quæ trochylos ibi vocatur, invitat ad hiandum, pabuli su gratia, os primum ejus assultim repurgans, mox dentes et intus fauces... (1) » Viginti fere post sæcula Stephanus GEOFFROY SAINT-HILAIRE, reipublicæ imperatorem in Ægyptum secutus, hoc idem ipsum vidit ac miratus est. Nec unus vidit, sed stupentibus comitibus, ad augendam memoriæ fidem, simul et ad reparandam Plinii laudem, ostendit !

Nec minus utilia de plantis retulit noster ; quum enim indicet quæ gens cinnamomum legat, licuit viro doctissimo ROULIN multa itinera emenso, felicissime Cinamolegos pro Cynamolgis interpretari, sicque patriam huic populo suam erranti per totam Libyam restituere.

Iis nunc documentis fretus, sigillatim evolvere quid Romani de Libya notum habuerint incipiamus. Quumque tribus modis, ut supra dixi, Libyæ apud eos geographia profecerit, triplex nobis inde studium ; Polybii convectores, occidentalem oram obeamus; ducum et exploratorum vestigiis instantes, interiores terras ingrediamur ; populorum commerciis et societatibus assuescentes, eorum mores et industriam ediscamus !

(1) Plinius, VIII, 37.

CAPUT III.

DE OCCIDENTALI LIBYÆ ORA.

Ultra columnas Herculis patet Mauritaniarum ora. Mauritaniæ, ante Caium Cæsarem regna, illius sævitia in duas provincias divisæ, non certis undique finibus terminabantur. Quæ quidem non Oceano tantum, sed mari quoque Mediterraneo allisæ, flumine Ampsaga a Numidia separatæ erant. Meridiem versus, prope montem Atlantem, hic Mauritaniæ dici desinebant ubi incipiebant, frequens et multiplex natio (1) Gætuli. Nunquam Romani totam hanc provinciam subegerunt, incolarum feritate sæpius oppressi, inconstantia eorum et migrationibus, terræ quidem, non virorum dominatores. Isti enim populi, ut Carthaginis potentiam ferre non sustinuerant, ita quoque Romani servitii impatientes, romana castella, ut punicas Hannoni quondam conditas arces (2), quoad occasio suppeteret, evertebant. Oppida quidem, in maris Mediterranei oris exstantia, classibus semper imminentibus, defendebantur. Urbes autem in interiore provincia, aut in Oceani littoribus sitæ, nec colonis, nec etiam militibus romanis tutæ erant. Ita perpaucæ apud Plinium notantur, Oceanum versus, urbes, quibus Romani imperabant; in ora, *Tingi*, mutato nomine, *Traducta Julia; Constantia Zilis*, et recentissime, missis à Claudio imperatore colonis, aperta *Lixus*; mediterraneæ autem *Julia campestris* et *Valentia*. Cæteræ urbes, indigenis

(1) Pomponius Mela, I, 4.
(2) Plinius, V. 1.

habitabantur, jugum romanum non perpessæ. Plinio quoque auctore, constat romana arma, primum, Claudio principe, in Mauritania bellavisse.

Stat contra Hispaniam *Tingi*, nomine servato *Tanger*, quæ impositum à Cæsaribus, Cæsaribus eversis, servile Julii cognomen aversata respuit.

Manifestum quoque est, nemine adversante, *Zilim*, Arabum lingua dictam esse *Azzilia*.

Non idem vero de *Lixo* consensus. Hodie quidem, non procul à *Tingi*, flumen in mare decurrit, cui nomen est *Lucos*. Illius in ripis urbs, et situ et appellatione, coloniæ romanæ simillima. Eamdem autem Cornelius Nepos, non aspernandus auctor, prævalidam, majoremque Carthagine magna, ex adverso ejus sitam esse credebat. Plinius quidem, ut ad credulitatem sæpius facilis, ita quoque aliquando ad diffidendum pronus, Cornelium Nepotem affirmat fidem Græcorum mendaciis adhibuisse. Sed apud Hannonem legitur flumen *Lixum*, ultra *Soloenta* promontorium navigantibus inveniri, ingentem amnem. *Lixus* autem noster parvulus est rivus, pluviis tantum et procellis, torrentium modo, interdum inflatus. Præterea refert Hanno *Lixitas* se abduxisse qui Æthiopum linguam interpretarentur. Quanto autem itinere, si nostrum *Lixum* incoluissent, ab Æthiopibus abfuissent! Scylax, duos ejusdem nominis amnes memorat. Ipse denique Plinius, inscius, duobus operis locis, de utroque fluvio loquitur, qui, mox Polybium secutus, *Lixum* inter amnes, romano navigatori visos annumerat. Hinc mihi ut multis, ut Krown, ut Muller, ut Mannert, ut Kluge, non dubium est duos apud veteres ejusdem nominis, ipso forsan viatorum et nautarum errore, fuisse amnes. Alii inferiorem *Lixum*,

ut HEEREN, in fluvio *Tensift;* alii, ut BOUGAINVILLE in *Rio d'Ouro*; alii, ut MOVERSIUS in *Ouad Noun* agnoverunt. Sed, ante omnes, veritatem propius mihi videtur accessisse MULLER, qui Græcorum, Romanorum et ipsius Cornelii Nepotis opinionem amplexus, *Lixum* affirmantium ex adverso Carthaginis defluentem, ad *Ouad Draa*, maximum quidem illius terræ amnem, felicissime respexit. Ubi autem exstitit illa Antæi regia, de qua fabulosissime quidem Græcis nec non Romanis, teste Lucano, narratum est, cujusque in ruderibus coloniam primo Carthaginiensium, deinde Romanorum, insedisse Plinius affirmat? In superiori nempe *Lixo*, quum urbs quæ Claudii colonos acceperat non longe posset a Gaditano freto distare; quam, ut GOSSELIN, mutato nomine, factam *Larache* æstimamus, in eo fluvio, qui et hodie *Lucos* nuncupatur. Nihil nisi incerta de *Babba* aut *Baba*, *Julia campestri* dicta. Nullus est locus qui Romani aut Africani nominis memoriam revocet. Placuit D'ANVILLE, excellenti geographo, profiteri *Babba* loco nunc *Naranza* appellato exstitisse. Sed donec detecti in hoc loco nummi, aut repertæ inscriptiones fidem rei faciant, donec agricola

Exesa inveniat scabra rubigine pila,

nullam huic antiquæ urbi sedem assignabimus.

Certius idem D'ANVILLE agnovisse mihi videtur, coloniam *Banasam*, quam, ut ait Plinius, præterfluit amnis *Subur;* nunc quoque *Sebu* indigenis appellatus. Ibi enim urbs est, jam vetus, et amissæ opulentiæ monumentis superba, cui nomen *vetus Mahmora*. Hæc, et situ ad coloniam apto, quum fluminis non exigui ostia teneat, et vetustatis honore antiqua *Banasa* haberi meruit. Illa

autem *Banasa*, ultima in Oceano colonia a Romanis condita fuit, cæteris ab ea urbibus liberis.

Hanc vero inter et Babbam, mediis in terris, oppidum *Volubile*, ab utraque defensum, ab utraque, si opus fuerit, quem citissima auxilia accepturum. Multi jam-pridem, ut memorat Harduinus, hanc *Fez* esse sunt arbitrati. Illam autem Graberg de Hemso in Basra agnoscit; sed melius d'Anville in *Guulili*, in quo nominis romani quædam est consonantia; imo et cernuntur nonnulla antiquitatis vestigia.

Ab amne *Subur*, oppidum *Sala*, etsi repugnet Gosselin, flumini ejusdem nominis impositum, ne una quidem corrupta aut mutata littera, hodie *Sala* in flumine *Sala* nuncupatur. Illa autem urbs, jam vicina solitudinibus, indigenis, ut credere est, incolebatur. Oppida enim quoque dicebantur urbes Africanorum.

Unus, ut supra dixi, Plinius Polybii Periplum retulit, etsi non unus cognovisse ac legisse videatur. Manifestum est enim Melæ descriptionem legenti hunc geographum ante oculos habuisse excellentis viri Periplum. Periplus autem Polybii, apud Plinium, adeo obscurus est, ut nemo ante Gosselin hunc explicandum susceperit. Vir autem ille, veteribus infensissimus, ipsa hujus narrationis obscuritate abusus est, qua præsumptam opinionem confirmaret. Finem veterum navigationibus imposuit ad promontorium *Bojador ;* omissa autem itinerum distantia, quum repugnat, adhibita, quum convenit, et Hannonis, et Eudoxi, et Polybii, et Jubæ eodem carcere geographiam coercet.

Sed ad ipsum Periplum revertamur. Quem ita explicat Gosselin : *Gaditanum* fretum, sinum *Saguti*, oppidum in promontorio *Mulemacha*, flumen *Lixum*,

flumen *Subur*, flumen *Sala*, flumen *Anatim*, portum *Rutubis*, promontorium *Solis*, portum *Risardir*, flumen *Cosenum*, flumen *Masatat*, promontorium *Surrentium*, flumen *Darat*, flumen *Salsum*, *Atlantis* originem, flumen *Bambotum*. Hic omnia quidem Polybiani Peripli nomina agnosco; ordinem vero nullum. At Plinius, ait GOSSELIN, periplum in duas partes divisit. Assentior. Altera mensuras generatim indicavit; altera locos designavit interpositos. Non nego. Altera, nominum memoriam a fine incipiens facit; hoc quoque, etsi non suadeat Horatius qui velit ab Jove esse principium, non respuo; altera locos medios a principio designat. Illud quoque mihi placet. Surgere Atlantem subjicit inter *Salsum* et *Bambotum;* istud, etsi nulla causa sit, accipio; θεῶν ὄχημα ut fabulam omittit; non recuso. Quem ita correctum Periplum non intellexisse infelix Plinius arguitur ad id tantum, ut, auctore GOSSELIN, profiteatur non ultra promontorium *Bojador* Romanos processisse. « Quis possit, addit ille, hanc opinionem inficiari, quum ipse acceperim a consule *Mogador* misso, ante hunc locum ingentes arenas in Oceanum excurrere, quas certe non triremes naves potuerint superare? Sed omittat omnem consonantiam vocum, omittat potissimum valuisse in mari Carthaginem, qui poterit explicare, in flumine Salso reperiri crocodilos, in *Bomboto* hippopotamos, quos nescio unquam in regione *Maroc* fuisse visos.

At de hoc satis; ipsum Periplum, obscurum quidem, restituere et interpretari tentemus. Convenit duos apud veteres fuisse amnes utrumque nomine Lixum; quam rem quidem ostendimus Plinium non esse suspicatum. Quid mirum si, quum Lixum apud Polybium legit, quidquid de altero prodit Polybius, ad alterum transferat,

quem novit, id est ad *Lixum* in quo imposita fuit eodem nomine colonia romana?

Hoc enim modo est intelligendus Plinii locus; « Ab eo monte (Atlante) CCCCLXXXV M. pass. ad flumen *Anatim*; ab eo (*Anati* meridiem versus) ad *Lixum* CCV M. pass. qui autem *Lixus* est *Ouad-Draa*). Ibi autem Plinius, nominis similitudine deceptus, quo melius *Lixi* situm lectoribus ostendat, addit, « a Gaditano freto CXII M. pass. abesse. » Quum autem Polybius mentionem omiserit urbium fluminumque qui sunt ab freto usque ad Atlantem, Plinius, quo certius lectorem ea loca edoceat: « Inde, ait, sinum qui vocatur *Saguti*, oppidum in promontorio *Mulemacha*, flumina *Subur* et *Salam*. » Tum rursus, ad Polybii Periplum reversus, memorat portum *Rutubis*; ita ut legendum sit: « Ab eo *Lixum* CCV M. pass.; Portum *Rutubis* a *Lixo* CCXIII M. pass.; inde promontorium *Solis*, etc. » Non facile intelligas quî fieri potuerit, ut Plinius in Peripli narratione hæc interposuerit; sed, ut longa disertatione approbavit RITSCHL (1), constat Plinium multas in margine paginarum adscripsisse notas; libenter autem arbitreris, librariorum errore, has notas in operis corpus intrusas fuisse.

Sic autem correctus Polybii Periplus cum scriptis cæterorum auctorum adeo non repugnat, ut certissimus antiquæ de Libya geographiæ sit testis; nec indignus qui cum Hannonis narratione conferatur: « Ab Atlante, occasum versus, saltus plenos feris, quas generat Africa, ad flumen *Anatim* CCCCLXXXV M pass.; ab eo *Lixum* CCV M pass.; portum *Rutubis* a *Lixo* CCXIII M pass.; inde promontorium *Solis*; portum *Risardir*; Gætulos *Autotoles*; flumen *Cosenum*; gentes *Scelatitos* et *Ma-*

(1) Fredericus Ritschl. *De indicibus Plinii*, Bonnæ, 1846.

satos; flumen *Masatat*; flumen *Darat* in quo crocodilos gigni. Deinde sinum DCXVI M pass. includi, montis *Barce* promontorio excurrente in occasum (quod appellat) *Surrentium*; postea flumen *Salsum*, ultra quod Æthiopas *Perorsos*, quorum a tergo *Pharusios*; iis jungi mediterraneos Gætulos *Daras*. At in ora Æthiopas *Daratitas*, flumen *Bambotum* crocodilis et hippopotamis refertum; ab eo montes perpetuos usque ad eum quem θεῶν ὄχημα dicimus. θεῶν ὄχημα finis est Polybiani peripli; nec Romanus geographus longius quam Græci aut Pœni progressus est. Sequentia Plinius manifeste addidit; hoc enim accusativo regitur: *Salsum*, *Pharusios*, *Bambotum*, quo significatur Plinium ipsa Polybii verba referre. Quum autem, ut priore Atlantis descriptione ostendit, hujus montis sit curiosissimus, non omittit requirere quid et Polybius de Atlante censuerit; nam refert Polybium locavisse Atlantem in medio spatio ad promontorium Hesperium. Sed non est inutile animadvertere Plinium hic non verba Polybii reddentem, potuisse interpretando errare, aut, nisi erraverit, omisso Polybii loco, « Inde » scripsisse, non quidem meridiem versus, sed contra remeando ad Septentrionem. Fortasse autem non ita sedulo explicandus est hic locus, quum semper incertissima antiqui de Atlante retulerint.

Atlas quidem hodie montes continui, *Maroc* regionem et *Algeriam* a solitudinibus dispescentes. Quis sit vero hic mons a quo Polybius incipere videtur? Excurrit quidem Atlas in mare, excelsissimo promontorio, prope urbem dictam *Tarudant*, mons totius oræ altissimus. Ab eo *Anatim* constat circiter CCCCLXXXV M. pass. distare, id est fere CXXX leucas. Sin autem omnes supputamus littoris circuitus, *Anatim* amnem eum esse reperiemus

qui dicitur *Ouad Nun*. Si dimidium fere persequimur iter, devenimus ad amnem *Ouad Draa*, qui, auctore Muller, est alter *Lixus*, et optime cum Polybii *Lixo* convenit. Quiquidem maximus totius littoris amnis, in finibus solitudinum, nec non cum Hannonis *Lixo* congruit. Hinc incipiunt solitudines; hinc quoque nullæ urbes, nulla oppida Polybio memorantur. Quî possimus portus agnoscere *Rutubis* aut *Risardir*? Etenim sinus tantum sunt, nullis urbibus cincti, et sic appellati aut viatorum, aut interpretum arbitrio. Graves autem disputationes suscitavit promontorium *Solis*. Quum enim legerint apud Herodotum, apud Hannonem, apud Scylacem « ἄκρα Σολόεις » faciles in Plinii injuriam Recentiores crediderunt Plinium male reddidisse Polybii vocem; « promontorium *Solois* » scribentis. At, ait Herodotus τῆς Λιβύης.. ἀπὸ Αἰγύπτου, μέχρι Σολόεντος ἄκρης, ἣ τελευτᾷ τὰ τῆς Λιβύης. Unde manifestum est hoc esse Σολόεις promontorium quod hodie nuncupatur *Spartel*. Bochart autem originem e Pœnorum lingua repetens, contendit Σολόεντα significare « saxosum. » Hanno, statim ut Thymiaterium liquit, huic promontorio appellit, longe antequam flumen *Lixum* (uter sit, parum refert), attigerit. Idem testatur Scylax. Ita ut Σολόεις promontorium non idem esse possit ac promontorium *Solis*. Sed si ipsa necessitate non satis defendatur Plinius, licet Ptolemæum in testimonium advocare qui et ἄκραν Σολοεντίαν, et Ἡλίου ἄκραν memorat, suo quemque loco, certissimus Plinii vindex. Nec id *Solis* nomen adeo rarum est atque inusitatum ut cuipiam monti non potuerit imponi. Etenim nautæ quibus ora sinistra erat, in meridiem navigantibus, montem ita nominare potuerunt, ex quo sol ipsis oriri visus fuit.

.Quis autem hic mons fuerit? *Djebi* an *Bojador?* Quum Plinius nullam itineris mensuram indicet, et nihil hac in ora veteris nominis memoriam faciat, conjectura tantum veritatem possumus consequi. At ego potius rear esse *Djebi*, quum post hunc Plinius indicet Gætulos *Autotoles*, qui etsi fere ultimi sint istius immensæ gentis populi, tamen non interius solitudines tenuisse creduntur.

Cosenum et *Masatam*, exiguos esse amnes facile arbitrar, aut potius de montibus torrentes, certis anni temporibus, tumentes; nulli autem nunc priscorum nominum quidquam retinuere. *Scelatitos* et *Masatos*, pauperrimas et errantes esse tribus, huic infelici terræ addictas, rapina et crudelitate viventes, cæteris infensas, sibi inter se inimicissimas, quas nemo nisi Polybius prodidit. Flumen autem *Darat* præcedentibus majus et crocodilos alens; multi nomine *Darat* decepti, arbitrati sunt hunc fluvium præterlabi incolas montium *Darah*, aut *Daran*, quos montes contendit Gosselin eosdem esse ac « *Dyris*. » Hic autem amnis longe ab Atlante abest; sed animadvertendum est Gætulos *Daras*, qui nunc *Darah* vocem reddunt, a Plinio quidem memoratos, sed in interiore terra; in littore vero *Daratitas* Æthiopas, a flumine sinûs ingentis intervallo separati, nomine suo litteram servantes. Ergo nomen *Darat* originem non habet ab monte *Dara*, aut ab populis *Daris*, qui multo sunt superiores Sin autem reputemus lingua indigenarum *Dara* aut *Draa* significare ingentem aquæ copiam, nihil aliud hac voce contendemus declarari nisi quod ingens hoc flumen in mare defluit. Altera autem et duplex causa est cur hunc amnem non longe a tropico esse distantem arbitremur. Primo quia Plinius affirmat crocodilos

in eo gigni; scimus autem crocodilos hac in ora in *Senega* reperiri. Attamen non supra fidem est quosdam paulo altius vivere aut vixisse. Deinde quia non longe a fluvio absunt *Daratitæ* Æthiopes. Etsi afferat GOSSELIN quædam veterum scriptorum loca, ubi Indi Æthiopes dicantur, contendatque hoc nomine homines fusco colore tantum designari, tamen Plinius sedulo distinxisse manifestus est Gætulos, non albo quidem corpore, et Æthiopas. Hinc quibusdam licuit existimare *Darat* esse quem nunc dicimus *Sénégal;* sed quum sinus memoretur DCM pass., qui quidem facile in pictis geographiæ tabulis reperiatur, nec prodigiosum sit aliquam Æthiopum gentem nec non crocodilos, hoc in littore quondam supra *Sénégal* unum vel duos gradus tenuisse, nihil obstat quin agnoscamus *Darat* in *Rio d'Ouro*. Horruit GOSSELIN, legendo esse sinum DC M pass. ampliorem et librarios incusavit, quod pro XC DC scripserint. Sed a promontorio *Albo* ingens sinus incipit, usque ad promontorium *Viride* curvatus, et multo DC M pass. amplior. Nullum igitur in librarios aut in Plinium ad geographiæ utilitatem crimen inferemus; sed promontorium *Album* dicemus *Surrentium*, quod quidem mire excurrit in Oceanum, non omnino quidem ad occasum; at Polybius, instrumento septentrionem indicanti carens, die obscura, potuit paululum de hujus promontorii directione falli. Unde vox *Surrentium* venerit, nescimus; quæ vox, ut Plinius animadvertit, Polybiana est. Forsan nautæ, in oris Italiæ nati prope *Surrentum*, patriæ memores, et, ut longinqua in terra amantiores, quamdam similitudinem nominis læti arripuere.

« Postea » flumen *Salsum*; incertum est utrum Plinius

significet, « post *Surrentium* » an « post hunc sinum. » Primas autem partes secuti in ipso sinu invenimus flumen *Sénégal*, totius oræ certe maximum. Multi disseruere num legi debeat *Palsum* an *Salsum*. Quum autem pergrandia sint istius ostia, aqua salsa poterat fluctu altius inferri; quod quidem in Gallia notatur quum maris motus usque ad Rothomagum, in Sequana usque ad Nannetes in Ligeri sentiatur. Quem amnem si remeavit Polybius, potuit aquam mirari sale corruptam et ideo *Salsum* dicere. Post hunc memorantur Æthiopes, nec certe casu favente hoc loco tum primum deprehenduntur, ubi et hodie incipiunt. Mox flumen *Bambotus*, crocodilis et hippopotamis refertum. Non possum non mirari quæ sit *Bambotum* inter et *Gambiam* consonantia; quum autem ipsa *Gambia* sit crocodilorum et hippopotamorum feracissima, ut flumen *Salsum* in *Sénégal* agnovi, nihil obstat quin, auribus ductus, MULLER ipsius opinionem rejiciam, et rursus BOCHART secutus, *Bambotum* flumen *Gambiam* esse profitear.

Ab eo montes perpetuos usque ad eum quem θεῶν ὄχημα dicimus. Hos montes esse contendit GOSSELIN Atlantis juga. Sed jamdudum veri Atlantis pedes præternavigavimus, et, ut d'ANVILLE eximio geographo visum est, ad oram devenimus *Sierra-Leone*. Mons ultimus θεῶν ὄχημα. Multi crediderunt hunc montem ita appellatum, quia ignes vomeret; pauca quidem de hoc Polybius; sed apud Hannonem legimus hinc defluere ῥύακες πυρώδεις. Quum autem hoc in littore montes ignivomos nusquam reperire sit, statim mendacio accusati sunt veteres scriptores. Constat hujus terræ incolas propter rabiem cœli, per diem somniantes, per noctem incensis ignibus festa agitare. Quod ipse Plinius non ignoravit, quum de

Atlante locutus, « incolarum, ait, neminem interdiu cerni silere omnia, haud alio quam solitudinum horrore...; eumdem noctibus micare crebris ignibus. » Quos accendere solent omnes hi Æthiopes, sive, ut memorat Plinius, ad lasciviam, sive ut sibi invicem quidquam renuntient, sive potius ut feras a casis suis inermi rabidas arceant. Quum autem ignis herbas aridas, aut arbusta sole exusta invadit, flumine celerior, plures sæpius, una nocte, leucas populatur. Hinc facillime ῥύακες πυρώδεις possunt intelligi. Igitur θεῶν ὄχημα unum ex jugis, quæ sunt *Kondo* aut *Gola* vicina. Ille fuit Polybianæ expeditionis terminus; est quoque redditi apud Plinium Peripli, quem suave est cum Hannonis, ducis Pœni, Periplo breviter conferre.

Innumera volumina de Hannonis navigatione edita sunt, quæ apud MULLER minores geographos amplissime notata reperias. Hinc de hoc Periplo diversissimæ, ut solet, opiniones. SAUMAISE et DODWELL fabulam a quodam Græco ex industria compositam existimant. GOSSELIN opinatur epitomen esse corruptam veræ et amissæ narrationis. VOSSIUS, FALCONER, MONTESQUIEU, BOUGAINVILLE, pretiosissimum habuere antiquæ geographiæ monumentum.

Qui autem istum Periplum contempserunt, multum Plinii auctoritate usi sunt. « Fuere, ait, et Hannonis commentarii, » quos ne legisse quidem videtur. Hoc autem non miror; Plinius enim, ut memoravi, Romanus geographus, et Græcos et Pœnos aspernatur, et quum Hannonis et Polybii Peripli iidem fere sunt, alterum, quia Pœni, fere tacet; alterum, quia Romani, summa cura explicat. Plinii igitur de Hannone silentium non in e-irimentum Pœni sed in Romani laudem habendum est.

Magna quidem est utriusque Peripli affinitas, ita ut alter alteri fidem faciat; non ea autem similitudo, ex qua alter alterius adulteratum exemplar esse credatur. Polybius easdem regiones atque Hanno invisit : Lixum, θεῶν ὄχημα, saltus feris plenos, Gætulos, Æthiopas ab utroque vidimus memoratos. Sed minorum locorum in utroque diversa est mentio.

Longius quidem dux Carthaginiensis quam Romanus progressus est, qui ad Νότου κέρας pervenit. Quid hac voce significetur multis quæsitum est? Alii promontorium, alii autem sinum, prout Græcos aut Romanos secuti sunt, significari crediderunt. Si sinus est, formam præbet cornu, bovini scilicet, id est arcus; at cornu obtusum una parte, altera quidem acutum est.. Non igitur mirandum si Romani κέρας appellaverint promontorium, quo sinus terminatur. Nos autem Νότου κέρας agnoscimus in promontorio *Palmas*, quod antiquis videri debuit ultimum Libyæ meridiem versus promontorium, quum ab eo ora inflectatur ad Orientem, necnon sinus Guinæi anfractu ad septentrionem imo spectet interdum. Νότου κέρας autem ultimus geographis Romanis Græcisve hac in ora cognitus locus. Ægyptii et Eudoxus longius processisse traduntur; sed, eorum commentariis amissis, et nominum et locorum memoria periit.

Ne autem putemus Νότου et Ἑσπέρου κέρας idem esse, quum apud Plinium legatur : « Inde (θεῶν ὄχημα) ad promontorium Hesperium navigatione dierum ac noctium decem. » Hoc vero mihi Plinius videtur non in Polybii Periplo legisse, sed ex se ipso affirmare. Etenim dum distantiam passibus Polybius metitur, Plinius, Hannonis modo, navigatione dierum ac noctium iter æstimat.

Præterea, dum accusativo significat se reddere Polybii voces, nunc mutato sermonis habitu, interpretatur ipse opinionem Polybii, ut hoc verbo apparet : « *locavit.* »

Nos quidem, Polybii Periplum legentes, mirati sumus, quod non Ἑσπέριον κέρας sit memoratum, apud veteres inclytum ; necnon animadvertimus nullam ab *Surrentio* indicari distantiam. Quæ quum omisisse se Plinius vidisset, ut certum monti θεῶν ὄχημα locum assignaret, restituit : » Inde ad promontorium *Hesperium*, quod quidem arbitrabatur omnibus esse notum, esse navigationem decem dierum ; neo curat notare se distantiam remeando metiri, quum nemini liceat ignorare θεῶν ὄχημα esse ultra promontorium *Hesperium* (1).

Hæc certe verba obscuriora : « In medio eo spatio Atlantem locavit, a cæteris omnibus in extremis Mauritaniæ proditum. » Polybius autem, pro tempore vir geographiæ peritissimus, adeo errasse libenter non creditur ; itaque Plinius ab eodem GOSSELIN arguitur, quod Polybii locum non recte sit interpretatus. Nec ego negem, si apud cæteros auctores optime conveniat, ubi stet Atlas, unde incipiat, ubi desinat. Sed apud omnes auctores, seu poetas, seu historicos, incerta tantum de eo monte produntur ac prodigiosa. Nam pater Herodotus Atlanta vocare videtur omnes Libyæ montes, eoque nomine illos *Lunæ* montes, Ptolemæo memoratos comprehendere. Deinde, quum Carthaginiensium itineribus aut armis Romanis perventum est ad pedes ejus qui nunc Atlas nuncupatur, vox ea juga tantum designavit occi-

(1) Sic gallice dicimus : NOUS sommes allés de Bruxelles à Versailles, il y a 80 lieues ; de Versailles à Orléans, il y a 35 lieues ; d'Orléans à Lyon, de Lyon à Marseille ; Marseille est à 200 lieues de Paris.

dentali in ora Africæ surgentia. Sed si Romani noverunt unde incipiat, vix ipsum noverunt, nec extremas radices definire tentaverunt. Plinii descriptionem legenti, quamvis jam Suetonius Paullinus arma ultra intulerit, apparebit plus inesse fabularum quam veritatis.

Nos quoque hodie Atlanta majorem et minorem dicimus. Quid mirum, si antiqui navigatores, ut Polybius, Atlanta appellaverint omnes excelsissimos montes, quos in occidentali Libya e navibus conspicerent. Ne igitur cum Gosselin contendamus, si Polybius Atlanta esse inter *Hesperium* promontorium et θεῶν ὄχημα prodiderit, Polybium non ultra *Bojador* fuisse progressum ; sed contra, ut apparuit omnibus Hannonis interpretibus binum fuisse apud veteres nomine *Lixum* amnem (nec mirum, quum nautæ, moniti fluere his in regionibus amnem magnificum Lixum, eo nomine ingentes amnes quos præternavigaverunt ornare sueverint), ita quoque arbitremur, ratos Atlantis radices usque ad mare extendi, eosdem omnia juga quæ conspiciebant, Atlantem salutasse. Imo duces, ut Colombus, classem in ignota omnino littora abducentes, his forsan nominibus fallere comites cogebantur, ut, longe ab Lixo et ab Atlante ventis abrepti, iis assuetis vocibus spem et fiduciam incertis ac paventibus redderent.

Mihi igitur consideranti omnes Atlantis descriptiones apud antiquos, fabulis semper mixtas, certis mensuris semper carentes, reputanti nautas secutos Africam occidentalem, ubi desierint Atlantis radices ignorare potuisse, vel ad itinerum securitatem comites suos ex industria forsan fefellisse, manifestum est non certum montem certo in loco stantem hoc nomine designari, sed fere omnes occidentalis Africæ montes. Hinc Polybius

non admodum erravit, quum Atlantem vocavit montes *Sierra Leone.*

Diximus Plinium, ad geographiam suam componendam documenta a multis auctoribus esse mutuatum. Quod ad Africam occidentalem spectat, Hannonis, Græcorum, Romanorum et ipsius Polybii documentis non contentus, retulit quoque ipsorum indigenarum opiniones. Qui vero esse possunt hi indigenæ?

Rex Juba plurima de Africa scriptis prodidit, nec ejus auctoritatem hac de parte licet omittere; verum Plinius, quoties Jubam sequitur, tanti auctoris nomen non præterit, ita ut illud indigenarum ignotorum testimonium non magnam apud nos fidem consequi debeat. Difficile est, *Anasam*, et *Vior* et *Phut* cognoscere. Scio quidem illa nomina Ptolemæum, Δίουρ et φθὺθ reddere, sed arbitror potius ex operibus Plinii quam ex ipsa locorum fluminumque notitia. Ne igitur conemur eos amnes detegere, quum forsan jam memoratorum fluminum diversa possint esse vocabula.

Nunc autem, oris circumnavigatis, avertamus oculos, et in Oceanum prospicientes, recognoscamus insulas huic continenti circumfusas. Plinio quidem celebrantur *Cerne Atlantis*, *Gorgades* et *Fortunatæ*. Nos in hac descriptione non fugit Plinium ab Erythræo mari profectum Oceani Atlantici insulas a meridie ad septentrionem præternavigare. Primam autem memorat *Cerne*, quam ait, Polybio auctore, esse contra Atlantem. Nisi autem admiserimus Atlantem dici quemque occidentalis oræ montem, miremur quid Plinius velit, quum ejusdem auctoritate prodatur terram multo supra hanc insulam ad occasum flecti. Sed, opinionem a nobis propositam secuti, facillime Polybii *Cerne* agnoscimus in una ex in-

sulis ante *Sierra Leone*, seu *Fernando Po*, seu *Sherbro*. Polybii quidem diximus *Cerne;* nam sicut vidimus appellari *Lixum* quemque occidentalis Africæ amnem, Atlantem quemque montem, sicut constat *Thule* dictas omnes hyperborei maris insulas, nec non forsan *Taprobane* omnes Indici, sic quoque cogitandum est in his remotissimis plagis *Cerne* nominari plures incerti nominis insulas. Nepotis autem *Cerne* non multum ab ea quæ Polybio memoratur, nisi eadem sit, abesse videtur.

Atlantis quoque eodem sub cœlo quærenda est, infra *Hesperium* cornu. Illud autem Atlantidis nomen Platonis fabulam celeberrimam, invito scriptore, in animum reducit; de qua multæ editæ sunt disputationes. Plerique hanc insulam, aut terram inundatam fuisse et sub fluctibus mersam existimavere, nec non *Viridis* promontorii insulas tanquam supereminentia montium juga habuere. Sunt etiam qui, *Americam* respicientes, arbitrati sint ibi fortunatam suam rempublicam Platonem, ut multi nostris diebus tentaverunt, posuisse. Nonne autem satius videtur opinari Platonem jacere in longinquissimo mari insulas nonnullas edoctum, nec forsan nominis *Atlantidis* geographis memorati inscium, hoc sub cœlo, nulla certa regione, suam meditatum esse coloniam. Quidquid id est, Plinii *Atlantis* ante *Sierra Leone* fuisse sita mihi videtur.

Gorgades autem insulæ ante *Hesperium* cornu surgebant, Hannonis narratione deprehensæ, et hirtis feminarum pellibus. Contendimus autem *Hesperium* cornu promontorium *Viride* esse, quod contra sunt multæ imprimis insulæ; aliæ, ut Xenophonti Lampsaceno memoratum, bidui navigatione a continente distant. Imo, fe-

licissimo casu, si casus est, licet potius testimonium haud dubium esse videatur, una ex his insulis nuncupata *Gorea*, et Gorgonum et Gorillarum fere omnino reddit consonantiam. Eo autem ea insula sub cœlo jacet, quo ingentes simiæ facillime, frigora expavescentes, quondam habitare potuerunt.

De *Fortunatis* insulis supervacaneum est disserere. Etenim fere omnibus convenit eas esse insulas quas vocamus *Canarias;* et ego libentissime assentior quum Plinius unam *Canariam* appellaverit. Has autem veteres optime cognoverunt, ipsi quidem Romani, sed præsertim Pœni, et, Romanis permittentibus, Pœnorum hæres Juba.

Nunc ad *Gades* unde profecti eramus fere remeavimus, postquam descendimus usque ad sinum *Guineæ* nominatum, ubique notantes urbes, montes, amnesque cum veterum amnibus maxime congruos, et fabularum originem in prodigiosa veritate detegentes; ita ut non dubitemus Plinium Libyæ oras a *Gadibus* usque ad promontorium *Palmas*, Hannonis, Polybii, Jubæ cæterorumque viatorum narrationibus, cognovisse.

CAPUT IV.

DE INTERIORE LIBYA.

Tres sunt Libyam ingredientibus aditus : alius ab occasu, *Nigris*, *Gambiæ* aut *Senegæ* ripas secutis, per *Fulahs* et *Futa* populos, rapaces, crudeles, hospitibus infensissimos; alius a septentrione, per *Sahara* solitudines, aquarum et fructuum inopia tristis, Arabum perfidia sæpius male tutus; tertius autem, ab oriente, per *Ægyptum*, *Nubiam*, *Darfour* et *Wadai*, terras Nigritis habitatas, mitioribus autem et facilioribus quam sunt occidentalis oræ populi.

Priore sæculo, Libyam interiorem scrutaturus, Mungo-Park ab occasu profectus est, et viam instauravit quam postea ingressi sunt fere omnes istius continentis exploratores. Sed ipsius Mungo-Park multorumque nece, manifestum est has terras nunquam facile Europæis fore pervias. Imo omnes urbem *Timbuctu* quærentes, irriti periere, virque, civis noster, qui primus optatam hanc arcem vidit, non ea via Libyam inierat. Etenim René Caillié, mores et vestes indutus Arabum, Arabum linguæ peritissimus, a septentrione profectus iter incepit tot Arabibus confectum, dum res Africæ florerent : quo et nunc mercatorum expeditiones Libyæ divitias Europæis afferunt, et quædam Europensis industriæ opera mirantibus indigenis invicem reddunt. Nostris autem diebus, Galli, superioris Africæ totiusque Numidiæ virtute sua arbitri, mercatorias Carthaginis opes renovaturi hanc septentrionalem viam rursus aperire in dies conantur, sibi commercium interioris Libyæ solis

arrepturi. Verum tertia per Ægyptum via, fere ignota fuit ad hoc tempus; sed ex quo Ægyptus et principum magnitudine, et Anglorum commercio e barbaria emersit, omnium simul et brevissima et facillima, non modo ex ipsa indigenarum facilitate, sed quia loci excelsi Europæis multo salubriores habentur. Etenim dum ab occidente febriles paludes, ab septentrione solitudines exustæ obstant, ab oriente regio ditissima, fertilissima, fructuum, herbarum, pecudum feracissima, sollicitat Europæos, ut Libyam quoque in commune litterarum, scientiarum artiumque consortium vocent.

Veteres autem populi occidentales Africæ terras, navigantes e mari tantum conspexerant. Quondam per septentrionem Pœni, ut fama est, divitias interioris terræ quærere non horruerunt. Superatis Pœnis, Romani, punicæ avaritiæ hæredes, sibi eadem via easdem divitias ab indigenis, commerciorum facultate, afferri curaverunt; sed constat quousque ipsi penetraverint. Etenim Plinius declarat Suetonium Paullinum (quem consulem viderat), primum Romanorum ducum transgressum esse Atlantem, aliquot millium spatio. Balbus paulo longius usque in *Hammada* progressus erat, ut monumenta celeberrimo Barth visa, testantur. Sed semper Romanis viatoribus insuperabiles obstiterunt arenæ.

Tertia autem via, id est per Ægyptum, remotissimis temporibus Libya interior alienigenis patuit. Hac, si Herodoto atque Diodoro credimus, Sesostris fere totam Libyam suo imperio addixit. Hac si qua fidesest, hoc longissimum triennio iter, cujus auctores, fuere Hiram et Salomo per orientalem Africam et vicinas Nilo terras, Phœnices cum Judæis confecisse dicuntur. Sed historia accepimus Alexandrum Libyam explorandam

commisisse Æthiopibus, qui, teste Lucano, calentem Nilum viderunt. Nerone autem jubente, maxima certe, non dico numero exploratorum, sed itineris longinquitate, quæ unquam a Romanis missa est expeditio, per eam viam ad ignotas superioris Nili ripas remeavit, ac deinde miranti Romæ, de fervidiore hac regione, prodigiosa quidem non falsa documenta retulit.

Quamvis hac expeditione multum romana geographia profecerit, obscura tamen apud Plinium legitur Niliacæ regionis descriptio.

Unde Plinius hæc profere potest: « Originem (Nilus) in monte inferioris Mauritaniæ, non procul Oceano habet (1)?» Ipse aperit. Etenim Jubæ, id est Romani reguli, potius quam novissimis commentariis fidens, aut ipsum fortasse Jubam non recte interpretatus, de alio prorsus flumine loquitur. Attamen, quum non possit omnino omittere cæterorum opiniones, addit : « Lacu protinus stagnante quem vocant Nilidem. » Nilus, statim ab origine, in lacum infundi prodebatur apud antiquos; quæquidem opinio prævaluit apud Arabas; consentitur et hodie Nigritis. A quibus autem hanc Plinius acceperit, manifeste, etsi generalibus verbis, declarat, quum sic desinit : « famaque tantum inermi quæsitus sine bellis, quæ cæteras omnes terras invenere. »

Falsam ergo videmus Nili apud Plinium descriptionem, nec intelligendam cuiquam, nisi animadverterit uno nomine, una descriptione, trium fluminum cursus imperfecte quidem describi. Quæ flumina sunt *Nilus*, *Niger* et *Gir*. Nunc cuique suum tribuamus. *Gir* flumen est Mauritaniæ exiguum ultra montem Atlanta, quod et

(1) Plinius, V, 10.

hodie nomen servat. Apud Ptolemæum *Gir* illud describitur. Plinius quoque novit; quod Suetonius Paullinus *Gèr* vocat. Multi sunt qui Nigrin Paullini *Ger* esse crediderunt; sed nunc consentimus cum acutissimo viro Gosselin, qui optime ostendit solitudines quas Plinius memorat reperiri inter *Gir* fluvium et Atlanta. Maxima autem mihi causa est cur huic opinioni assentiar, quod proximos huic fluvio Plinius *Canarios* noverit, *Gætulos* scilicet, et post hos Æthiopas *Perorsos*, qui primi sunt Æthiopum, circa *Senegal* habitantes. Niger autem multo est inferior. Quum autem constet *Ger* fuisse veteribus cognitum, nemini dubium esse potest quin ad Nilum transtulerit Plinius quod Juba de amne *Ger* scripserit : « Originem ex alio lacu majore Cæsariensis Mauritaniæ. »

Ipsissimis igitur Plinii verbis dixerimus : « (*Ger*) originem in monte inferioris Mauritaniæ, non procul ab Oceano habet, lacu protinus stagnante; ex hoc lacu profusus indignatur fluere per arenosa et squalentia, conditque se aliquot dierum itinere. Mox alio lacu majore in Cæsariensis Mauritaniæ gente Massæsylum erumpit, et hominum cœtus veluti circumspicit; iterum arenis receptus conditur. » Hæc ad fluvium *Ger*. Quum autem Plinius persuasum habeat eumdem esse ac Nilum, addit : « xx dierum desertis ad proximos Æthiopas. » Hæc vero difficilius interpretemur : « iisdem animalium argumentis, » quum dixerit Plinius in eo amne esse crocodilos ; quod quidem non ad Ger, sed ad Nigrin referendum. Nunc ad Nilum, cui fons est « lacus quem Nilidem vocant. Ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini, siluri. Crocodilus quoque inde ob argumentum hoc Cæsareæ in Iseo dicatus ab eo (Juba scilicet) spectatur hodie... conditur deinde Nilus... atque, ubi iterum senserit hominem,

prosilit. Inde Africam ab Æthiopia dispescens etiam si non protinus populis, feris tamen et belluis frequens sylvarumque opifex, medios Æthiopas secat cognominatus Astaboras... » Sequentia autem adeo Nilum decent, ut nulla explicatione opus sit.

Nigrin amnem veteres, Romani scilicet et Græci, cognovere. Licet Dureau de la Malle Æschyli carminibus vel etiam Homeri latentes Nigris aquas excudat, primus Herodotus hujus fluminis indicium accepisse videtur. Plures vero loci apud Plinium hoc satis clare designant (1). Hoc decent voces : « Fons Nigris, » et « iisdem animalium argumentis. » Hanc enim similitudinem quam Juba crocodili pelle testari conabatur, quam Plinius sedulo animadvertit, sentiunt et mirantur omnes qui utrumque amnem Nigrin et Nilum exploraverunt.

Hæc autem geographia, ut Plinius prodit, non bellis, non armis Romanis profecit. Minus igitur hanc Plinius curat. Quumque apud Jubam, fluviorum trium descriptionem legerit, quibus idem et diversum nomen *Nilus* Ægypti, *Nilus* Nigrorum, *Nilus Ger*, aut (ut quidam mss. ferunt) *Niger*, arbitratur eumdem esse et unum, variis nominibus ex regionibus quas transcurrit appellatum, *Ger* apud Garamantas, *Nigrin* apud Æthiopas, *Ægyptium* apud Ægyptios. Quumque suo more ad se redigat simul ac concinnet cæterorum opera, in unum tria flumina confundit.

Nec non altera causa est cur Plinius Nigris et Nili cursum jungat, scilicet, quod hi amnes undas miscere

(1) Flumen Nigrin qui Africam ab Æthiopia dirimit. Lib. V, 4. Nigri fluvio eadem natura quæ Nilo ; calamum et papyrum, et eosdem gignit animantes, iisdemque temporibus augescit. Oritur inter Taraleos Æthiopas et Œcalicas. Lib. V, 8.

quondam crediti fuerunt. Hæc opinio apud Herodotum edita, deinde renovata est apud Arabas; quo autem in loco jungantur, et quo flumine, incertum est. Attamen recentiorum expeditionibus quædam lux hac de re facta est; anno MDCCCXXVI DUREAU DE LA MALLE arbitrabatur Nilum in duos amnes scindi, alterum *Bahr et Abiad*, alterum autem *Misselad* qui cum Nigri aquas sociaret. Eodem tempore quo *Soudan* non optime cognitum erat, credebatur, amnis ex Nilo divisus in *Tchadd* infundi, scilicet *Shari*, et hinc egressus nomine *Jeou* mox *Tschadda* dici atque in *Joliba* influere. Mox autem ipsa locorum dispositione vir Libyæ doctissimus, JOMARD, ostendit quam falsa esset hæc opinio, quum lacus *Tschadd* multo altior sit quam Nili vallis. Proximis vero expeditionibus apertum est, *Jeou* in *Tschadd*, non ex *Tschadd* fluere, ac paulo post, montium juga inter *Jeou* et *Tchadda* aut *Binue* interesse; hunc denique fluvium ab oriente, imo a meridie venire, ignotis quidem originibus. Altera autem ex parte labitur flumen *Bahr el Ada*, quod putabatur cum Nilo jungi; vel potius, ut Nilus, vastis paludibus absorberi. Sed hisce annis manifestus est hic fluvius fluere ad occasum; ejusque cursus observatus est usque ad circiter trecenta millia a *Binue* flumine. Regio autem plana, nullis obstantibus montibus, interjacere creditur. Unde arbitrari licet hunc amnem eumdem esse ac *Binue*, et ideo in Nigrin influere. At incertum est unde originem *Bahr el Ada* trahat. Hoc tantum nos non fugit eum a meridie delabi. Scimus quoque, eodem fere sub latitudinis gradu, Nilum a meridie venire. Scimus præterea esse excelsos montes, unde uterque originem habeat. Locus quidem incertus; res autem non incerta, quum

absurdum sit arbitrari magnos amnes ex solitudinibus arenosis oriri. Quæ quum ita sint, verisimilis videtur et veterum et Arabum et Nigritarum narratio, scilicet Nilum et Nigrin jungi. Ingentes ad montium pedes lacus, ut omnium indigenarum testimonio constat. Inde utrumque defluere, quid mirum? Nec non altera proponenda est opinio : quum certo anni tempore aquæ inundent, istæ paludes, de quibus locuti sumus, in lacum mutari verisimile est qui pateat inter ***Bâhr el Abiad*** et ***Bahr el Ada***. Atque ita dirimitur lis inter Arabas recentiores que pendens, utrum Nigris ab occidente an ab oriente defluat. Nos Nigrin habemus ***Joliba;*** veteres et Arabes habebant ***Benue***, qui amnis in ***Joliba*** influit.

Infra Æthiopiam Oceanum esse apud veteres constat; alii autem Atlanticum, alii Meridianum vocant, quo Libya finitur et præsertim Æthiopia. Circumnavigationum quidem memoria aliqua niti poterat ista opinio; sed Australis Oceanus Æthiopas non circumfluit; dumque vagam de mari quodam versus meridiem sito famam ex indigenarum commercio acceperint antiqui, nostris tantum diebus detectum esse videtur mare interius, ingens, nec hodie certis finibus et ripis descriptum. Non nempe mihi in animo est profiteri Balbum aut Paullinum aut quemquam Romanum unquam hujus maris littoribus appropinquasse; nec contendam eos Nigris fluminis ripas attigisse, aut Nili sub æquinoxiali fontem intuitos esse : illi enim nec eum scientiæ amorem, quo ardemus, nec ea instrumenta quibus armati sumus secum ferre poterant. Sed inte omnes humani generis fratres latens est scientiæ quædam veluti conspiratio, qua vel longinquissimi remotissimos non omnino ignorant.

CAPUT V.

DE LIBYÆ NATIONIBUS.

Hodie Libyam tenent Arabes, Berberi, Æthiopes, Cafri, Hottentoti.

Arabes, naso adunco, capillis cedentibus, flaventi pelle, oram septentrionalem occupavere.

Berberi, eadem atque Arabes familia orti, eadem facie, nisi quod, ut æquinoxialis circuli propiores, fusco colore obscurantur.

Æthiopes, proprium Libyæ genus, crispis crinibus, spissis labiis, nigro colore, a flumine Senega, occasum versus, a Nubiæ finibus, orientem versus, usque ad vigesimum fere gradum, ultra æquinoxialem circulum; diversi moribus populi, inter se bellantes, alii erga alienigenas crudelissimi, alii hospitio utentes.

Australem autem Libyam habitant Cafri, Nigritibus majores, longiore naso, fusco colore, sed magis fumo et squalore, quam natura.

Hottentoti, Cafris affines, flavo corporis habitu, depresso admodum naso, stupida indole, infimi mortalium, cæterorum aut præda aut servitium.

Appulit quoque his littoribus gens Europensis omnium terrarum dominatrix : Numidiæ Galli, insulis Angli, littoribus Lusitani, extremo ad meridiem cornu Batavi.

Plinius centum ac viginti circiter populos in Libya recenset. Quod si quisque, a cæteris distinctus, propriam originem habuerit, immensa quidem confusio ; sed ea ingens populorum multitudo, in quatuor vel quinque familias potest ordinari : multi enim variæ sunt ejus-

dem gentis tribus. Omnes hæ nationes sunt aut Gætuli, aut Garamantes, aut Mauri, aut Troglodytæ, aut Æthiopes. Perpaucæ, Europenses coloniæ, originis memoriam servavere. Ipsi Gætuli et Garamantes ex eadem familia, cui nomen Berberis. Ad quos redigendi sunt Syrtium et vicinæ oræ male noti incolæ. Hi autem Berberi origine, ut hodie aiunt, *Amezergh*, discernendi sunt a Mauris.

Mauri quondam fere omnem septentrionalem Africam occupaverant; sed, ut ex Plinii verbis didicimus, tempore quo scribebat, fere omnino erant exstincti. Mauri autem non erant indigenæ istius terræ populi. Apud scriptores (1) romanos ea quidem distinctio habetur, sed apud neminem nisi apud Sallustium verisimilis de eorum origine opinio profertur. Sallustius (2) autem contendit, eo tempore quo Hercules occidentem perlustravit, secum multitudinem diversarum gentium confusam trahens, hos populos, novæ patriæ colonos, insedisse ei terræ quæ Mauritania dicta est, et Medos, mutato nomine, Mauros fuisse appellatos. At quæ fides Herculis fabulis tribuenda est, qui disjunxisse Abylam et Calpen vi lacertorum proditur? Hic quoque, ut sæpius apud veteres, latet in fabula ornata veritas; nec alius forsan fuit Hercules ille, quam dux ingentium illarum multitudinum, qui, ex omni tempore, ab oriente in occasum influxerunt. Hercules ille, ut Attila, ut Genseric, ut Tamerlan, fluctui parens potius quam imperans, majores natu, ut ita dicam, Hunnorum aut Vandalorum fratres protrahebat. Quid ad nos, si Medi, aut Persæ, aut Armeni, hi populi forent ? Hoc autem magni ponderis

(1) Pomponius Mela, I, 4, 5.
(2) Sallustii Jugurtha, XVIII.

est, scilicet, Orientis gentes usque in hanc extremam terram delapsas esse.

Non ideo Mauros colonos, Berberos autochthones arbitramur; imo quædam est morum similitudo, ita ut facile credam Berberos septentrionalem Africam invasisse, priusquam irruerent Mauri, multorum forsan annorum intervallo, sed ex iisdem regionibus venisse, eumdem sanguinem eumdemque habitum gerentes. Mauri denique et Berberi, etsi non eodem partu geniti, ejusdem matris, Asiæ scilicet, proles.

Tertia autem invasio fuit Phœnicum et Græcorum. Phœnices, Carthagine condita, diu floruerunt; Græci liberas urbes, etsi non potentissimas, per longum tempus servavere. Sed ambo, Asiatica progenies, mox Berberis et Mauris jam dudum solum tenentibus, Berberis præsertim sese immiscuerunt, et connubiis propria cuique corporis signa diluerunt. Ex hac autem permixtione gens nata est, quæ claras in solo Africæ partes egit, Numidas dico. Numidarum autem origo apud Sallustium feliciter aperiri mihi videtur, quum sic scribit: « Hi (Phœnices Græcive) paulatim per connubia Gætulos sibi miscuere, et quia sæpe tentantes agros, alia deinde alia loca petiverant, semetipsi Numidas appellavere. »

Quod autem refert Sallustius de Numidis, dici quoque potest de omnibus septentrionalis oræ gentibus, quæ ex connubio primæ stirpis id est Berberæ, et invadentis sobolis, seu Græcæ, seu Punicæ, seu Vandalicæ, seu Arabicæ, certissime ortæ sunt.

Hi autem omnes, in unum coacti, naso adunco, capillis cedentibus, excelsa statura, flavo aut etiam fusco corporis habitu, opponendi sunt Æthiopibus qui, altera stirps, mediam Libyam tenent.

Jam, tempore Plinii, Mauri aut Maurusii, qui quondam fere totam Tingitaniam tenuerant, a Gætulis oppressi, fere omnino exstincti erant; duas tantum gentes in Mauritania Plinius memorat, Mauros et Massæsylos. Massæsyli et Massyli, ut cæteris scriptoribus visum est, non Mauri, sed Numidæ habendi sunt; quod non modo diversa testimonia aperiunt, sed nominis ipsius consonantia. Mela autem, etsi non alia Maurorum populorum nomina perhibet, tamen potentes ac florentes eos declarat; ita ut ea natio oppressa fuisse credenda sit non modo a Gætulis, sed a Romanis, Claudio jubente, in Mauritania bellantibus. Quos quidem a Romanis lacessitos, quum in Gætulos vis a tergo propelleret, Gætuli, ut sua defenderent, hostes fortuitos oppresserunt.

Attamen quamvis, primis imperii temporibus, Mauri perierint, regio quam incoluerant nomen apud posteros servavit, Mauritaniaque a Strabone et Ptolemæo fuit appellata. Imo hoc nomen etiam Arabum ætate revaluit, quum Hispaniæ dominatores, Mauri a regione ex qua in Hispaniam irruerant, dicerentur. Servat et hodie regio nomen *Maroc*.

Gætuli ultra Mauros et Numidas habitabant. Fortasse quum nondum invasionibus deturbati essent, fertilem hanc oram tenuerant, quibus novi insederant incolæ, ut ex Sallustii loco apparet: «Africam initio habuere Gætuli et Libyes... » Sed, tempore Plinii, omnino a maris littoribus erant repulsi. Imo adeo ab Europæ rebus avertebantur, ut, republica florente, Romanos ignorarent. Sallustius iterum addit: «Jugurtha, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gætulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. »

Quod si autem isti Romanos non noverant, Romanis optime erant noti, ut ex variis auctorum antiquorum testimoniis constat.

Rursus Sallustius: « Asperi, ait, inculti, queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum ut pecoribus ; hi neque moribus neque lege, neque imperio cujusquam regebantur, vagi, palantes, qua nox coegerat, sedes habebant. »

Respondent autem hodie Gætulis, et situ, et habitu, et moribus Berberi *Tuaricks*.

Multæ nationes quibus non nomen Gætulis, tamen in eamdem hanc gentem sunt cogendæ :

1. Gætuli, cæterorum stirps in finibus Mauritaniæ, ad Atlantis pedes, septentrionem versus, ad quos Jugurtha Metello instante, confugit.

2. Baniuri, Autololibus superiores, ipsum Atlanta forsan tenebant, et possunt agnosci in hodiernis istius montis incolis, nunc, ut Gætuli, feroces, alacres, ad bellum prompti. Hos autem Ptolæmeus. Βανιούρους inter Maurusias gentes annumerat, quia Mauritaniam occupaverant. Quum autem Plinius Gætulorum in Mauros victorias optime novisset, haud omisit declarare, hos, usurpato solo, Mauros factos, Gætulico tamen ortos sanguine.

3. In mediis terris, meridiem versus, Gætuli Daræ, ab *Darah*, aut *Dyris*, id est monte Atlante, nominis originem trahentes.

4. Autololes, ex adverso Atlantis, usque in oram maritimam extensi, homines feri, Gætulorum gens potentissima.

5. In solitudinum littoribus inter Gætulos duæ adscribendæ sunt pauperrimæ nationes, nullis opibus, nullis viribus, Scelatiti et Masati.

6. Ultra solitudines, in mediis terris, sed occasum propius, Perorsis Æthiopibus affines, ut ait Plinius, Canarii, quibus victus dividua ferarum viscera; sed quum hic populus a Paullino memoretur, qui non longe ultra Atlantem potuit progredi, citra *Sahara* desertum habitasse mihi videtur. Plinius autem, quum audierit Canarios esse ultra solitudines, ideo Perorsis affines dixit, etsi longo intervallo, ut in picta tabula cernere est, proximi Æthiopibus fuerint.

7. Vesuni ipsi, licet ultimi sint Gætulorum, versi ad Æthiopas (modo cum Autololibus juncti), propriam gentem constituerant; ad superiorem solitudinum finem habitabant, vel fertiles arenosi maris insulas saltem tenebant, longo quoque intervallo ab Æthiopibus separati.

Qui autem erant Gætuliæ fines? Nullus geographiæ scriptor hos dispescere studuit. Nec immerito; etenim qui fines his populis esse poterant, qui, vagi et palantes, secum divitias suas ferentes, in dies penates et patriam mutabant? Attamen dici potest Gætulia, septentrionem versus, a Mauris et Numidis, orientem versus, a Garamantibus, meridiem versus, solitudinibus terminari. Versus occasum, ea usque ad Oceanum patebat, « quum Gætulici scopuli muricibus ac purpuris exquirerentur. » Idem refert Pomponius Mela. Imo dubitatum est num Oceano terminaretur, quum ex viatorum narrationibus constet insulas Canarias fuisse habitatas Berberæ genti, quam vocavere *Guanches*, ex Gætulis, ut verisimile est, incerto tempore ortam. Ita Gætulia, a vicesimo longitudinis fere gradu ad Oceanum, inter vicesimum septimum et tricesimum tertium parallelum jacebat, nuncque in regione *Djezula* veteris nominis simul et situs similitudinem servasse mihi videtur.

Garamantes, ut Gætuli ad occidentem, sic ad orientem, et forsan, quum plures hac in parte reperiantur *oases*, interius solitudines tenebant. Diximus utrosque, eodem sanguine, eadem origine, situ tantum posse distingui. Nec etiam constat qui fuerit inter utrosque terminus. Plinius eos locat ultra Cyrenaicam, ita ut finiri quodam modo possint linea ab Carthagine in meridiem producta. Sed hoc incertum est, et ut pro temporibus, ita quoque pro scriptoribus varium.

Imo, apud scriptores Romanos sæpe non a Gætulis distinguuntur, ut ex hoc Flori loco videmus : « Musulanios ac Gætulos adcolas Syrtium, Cosso duce, compescuit. » Hic enim Florus Gætulos pro Garamantibus scripsit.

Hoc tamen fuit apud veteres Gætulos inter ac Garamantas discrimen, quod utrique a Romanis lacessiti, imperium Gætuli effugerint, Garamantes tulerint; triumphaverunt duces Romani de Garamantibus, nunquam de Gætulis, etsi Cossus Gætulicus fuerit appellatus. Cujus rei causas si requirimus, animadvertimus Garamantas Carthagini propiores, forsan mollitos, et ad ditionem paratos fuisse, hinc jugum Romanum toleravisse; Gætuli autem, ferociores, omnibus infensi, Romanos nec tentavere, nec experti sunt. Ille autem nobis ex romanis expeditionibus fructus comparatus est, scilicet quod gentes, Garamantum hæredes et filiæ, licet innatum huic generi vitium, rapacitatem non abjecerint, multo acceptius alienigenas per suas terras iter facere patiuntur, quam occidentalis partis incolæ; ita ut per *Tripoli* quam per *Fez* via Europæis in interiorem Libyam multo magis tuta pateat.

Hodie Garamantas exceperunt Berberi *Tibbous.*

Garamantibus urbs fuit Garama, quæ servato nomine *Djerma* insignes antiquitatis ruinas ostendit.

Sed multæ aliæ fuerunt Garamantum urbes, qui in innumeras nationes erant divisi. Etenim Garamantes habendi sunt omnes qui Africam à *Bagrada* ad Ægyptum tenentes, non ex coloniis Græcis aut Romanis originem habuere.

Quum Pomponius Mela scriberet, Garamantes fere omnino ignoti erant; inde fabulas fere easdem de his aggerat ac de Atlantibus et Blemyis. Ex quo autem scripserat Mela, bellum veritatem exprompsit. Cornelius Balbus, et mox, ut Plinius memorat, Vespasianus certum ad Garamantas iter invenerant. Sed, etsi Balbi expeditione multum creverint de Garamantibus notiones, non tamen, Balbum arbitror, ut Dureau de la Malle, usque ad *Agadez* pervenisse. Etenim, omissa tam longinqui itineris difficultate, non hic, ut in Hannonis Periplo, censere licet majora tantum inscribi. Sed verisimile est eum ad augendam triumphi pompam, omnes fere, non dico urbes, sed casas reddidisse quas conspexerat. Si quidem omne *Sahara* peragrasset, non certe hoc iter silentio obruisset, sed in admirationem totius orbis prodidisset; ita ut arbitrer eum non ex Phazania exiisse, et tantum fines solitudinum attigisse. Urbes et gentes memoratæ non aliæ sunt quam diversæ tribus, aut in Phazania, aut in *oasibus* dispersæ.

Inter Garamantas annumerandi sunt :

1° Phazanii, quorum nomen in voce *Fezzan* non periit : Phazania ea regio dicebatur. Hic et hodie reperimus urbem *Ghadames*, quæ situ et consonantia veteri Cidamo simillima est, de qua Balbus triumphavit. Hæc autem Phazania sita est inter Garamantas et Hammanientes.

2° Isti vero Hammanientes nemini nisi Plinio memorantur; multi censuerunt eos Amantibus Solini, aut Atarantibus Herodoti, respondere. Supervacuum est ostendere quam difficile hæc opinio cum veritate possit congruere, conjectura tantum, nullis testimoniis, nulla consonantia approbata.

Contra si, Plinio fidentes, a Phazania iter capimus ad occidentem, inter desertas atque aridas regiones devenimus ad *Oasim* fertilem, quæ debuit, et tempore Plinii, quibusdam Garamantum gentibus incoli, cui nomen est *Hammada*. In utraque voce radix *Hamma*, quæ significat fertilem mediis in arenis terram. Vox igitur et situs invitabant ut Hammanientes *Hammada* incolas reputaremus. Ecce vero legenti recentissimum doctoris Barth opus, apparuit eum in ipsa *Hammada* vestigia Romanorum invenisse, ruinosa monumenta, quorum descriptionem ac delineationem libris suis inscripsit. Certam igitur Hammanientibus restituamus sedem. Vox, situs ac monumenta (id est quidquid potest historiam confirmare) cum Romani scriptoris narratione optime conveniunt.

Disputatum est num Augilæ Garamantes habendi sint. Etenim, si veteres omnes de Hammanientibus tacuerunt, fere omnes de Augilis sunt locuti; omnes feram gentem, inhospitalem, rapacem ac fugacem depinxerunt, fabulas vero de iis eo prodigiosiores aggerantes, quo e longinquiore cognoscerent.

Augilæ, ait Plinius medio fere spatio locantur ab Æthiopia, quæ ad occidentem vergit, et a regione quæ duas Syrtes interjacet, pari utrimque intervallo. »

Quod si Plinii verbo credamus, multum quidem fallamur; veritasque nunc, ut sæpius, altius repetenda

est. Etenim pater Herodotus, Nasamonum narratione edoctus, refert Augilas, decem dierum itinere ab Ammone distare. Affirmat Hornemann viatori ab *Siouah* (id est Ammone) profecto, decem dierum iter esse. emetiendum ad Oasim *Udjela*. Confirmat idem Pacho. Hic quoque agnoscimus vocum consonantiam; sed sunt alia testimonia. Etenim Pacho qui hanc Oasim invisit, profitetur « verbis Herodoti, Augilam recentiorum posse describi. Etenim, ut quondam, unus fons nunc quoque arentes circum terras irrigat. Refert Pomponius Mela : « Augilas manes tantum deos putare ; per eos dejerare, eos ut oracula consulere. « Nunc quoque, ait Pacho, exstant vestigia istius in manes religionis quam indicat Mela ; sunt proximæ *Augelah*, in loco *Djallou*, speluncæ, quondam mortuis addictæ, in quibus duo vetustatis monumenta ab eodem viatore inventa sunt. Mentio quidem est apud indigenas castelli cujus mœnia, a pedibus ad fastigium paulatim minuata, similitudinem pyramidum in Ægypto exstantium reddebant. Verum nihil superest de hac urbe quam memorat Stephanus Byzantius, quam Procopius vocat Augilam; nulla rudera istius templi, in quo Ammoni Alexandroque sacra fiebant. Imo, urbem hic fuisse non facile credam ; etenim *Augelah*, non fertilis, sed tantum raris herbis aut palmis consita, uno fonte rigata tellus, medias inter arenas jacet. Quod quidem eo melius cum veterum scriptorum descriptionibus congruit, quod Augilæ errantes ac pauperes apud eos dicuntur « quibus nullæ urbes stent, tamen domicilia sint quæ mapalia appellentur. (1) » Hodie autem incolæ, textas cum palmarum foliis casas habitant.

(1) Mela, I, 8.

Ex his omnibus constat Augilas Oasim nunc *Udjela* dictam tenuisse; unde eos locare debemus ad Orientem regionis Phazaniæ.

Garamantes quoque existimandi sunt Psylli, sed, ut solitudinibus propiores, ita quoque minus veteribus noti; multi tamen de iis locuti sunt, sed fabularum potiusquam geographiæ causa. Etenim venena serpentum dentibus extrahere, et mirificos in usus adhibere credebantur; Sed melius hæc descriptio apud poetas quam apud geographos, apud Lucanum quam apud Strabonem legitur. Eos autem vixisse censeo in Oasi quadam remotissima, fortasse in ea quæ nunc *Agadez* nuncupatur.

Ultima autem Garamantum natio Macæ, quos Plinius Nasamonibus ad occidentem proximos locavit. Mutato nomine apud poetas dicuntur Mazaces. Quos sagittarum mittendarum peritissimos Claudianus et Lucanus produnt. Hoc autem modo bellare Garamantes solebant.

De Nasamonibus non convenit. Etenim contendit Plinius eos e solitudinibus venisse, et inde dici quoque Mesammones. Quod si verum sit, Garamantes habendi sunt, qui postquam maris oram occupaverunt, mutatis moribus, marium prædones, qui fuerant antea terrarum, facti sunt. Tempore Plinii nullis opibus valebant. Sed, quum scriberet Herodotus, florentissimi toti oræ dominabantur. Tunc, terram quoque non dedidicerant, et expeditionum duces in interiorem Libyam penetrabant; his forsan auctoribus, tunc primum interior Libya cum cætero orbe commercium jungere cœpit. Nasamones autem, si Herodoto fides est, geographiam colebant, et quiquid ille de Libya cognovit, a Nasamonibus acceperat. Hinc mihi arbitrandum est Nasamones, non

indigenas, sed colonos, e Græcia aut e Phænicia venisse, Africæ solo insedisse; ab indigenis non repulsos, brevi cum eis se connubiis miscuisse; inde florentissimum in interiores terras extendisse imperium; et tunc forsan, quum Ægyptiorum commercio uterentur, ut geographiam, sic alias coluisse, artes. Ac deinde, crescente Carthagine, crescente Roma, a priore laude degenerasse, et mox, classibus Romanis mare tenentibus, omni prædatione destitutos, adeo declinasse, ut potuerit dici Lucano « inops Nasamon. »

Asbystæ autem, gens Nasamonum, eodem vitæ genere, iisdem moribus, eodem sanguine. Eos urbem florentem habuisse refert Stephanus Byzantius, hoc Callimachi versu fretus,

οἵητε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ασβύσταο.

Sed eos credam, ut Nasamones, in tuguriis aut in ipsis scopulis vixisse. Plinius eos ad occasum Nasamonibus finitimos locat; Ptolemæus vero proximos, ad orientem, Hesperidum hortis. Qui vero horti, forsan in septentrionali parte Cyrenaicæ erant, quæ fertilissima est, aridas inter arenas sita, eo felicior quo cæteræ circum terræ tristiores. Sed de his non apud veteres consensus fuit. Etenim in occidentalibus oris eos memorantem Plinium mirati sumus; errorum autem causæ, ut ait Plinius « vagantes Græcorum fabulæ ».

Marmaridæ, Græca origine, sanguinem cum indigenis miscuerant :

Mixti Garamante perusto
Marmaridæ volucres;

quorum in terra multæ inventæ sunt ruinæ, Græcam

illam originem testantes, longiori operi materia. Marmaridæ sunt autem Adyrmachidæ et Mareotæ, nec non permultis scriptoribus celebrati Lotophagi.

Troglodytarum nomine, ut Gætulorum et Garamantum, plures populi designantur. Ingens familia Troglodytica potiusquam certa ac finita regio habenda est. Ut Gætuliæ, sic et Troglodyticæ finis nec notus est nec unquam fuit; Troglodytæ sunt omnes gentes quæ a solitudinibus ad sinum Arabicum et Erythræum mare, exceptis Abyssinia, Nubia et Ægypto, degunt. Ex Plinii libris difficile est Troglodytis locum assignare. Etenim ait « profecto a Garamantibus ad occasum iter esse ad Troglodytas ». Eadem fere Pomponius Mela. Scio quidem Plinium, Jubæ commentarios secutum, vicinos Nili ripis deinde memorare Troglodytas, quorum maximum emporium oppidum *Aduliton* : verum, quo certius edoceamur, revertendum est ad Herodoti Strabonisque Geographiam. Constat quoque Agatharchidis periplo, in Erythræo mari confecto, Troglodytas hujus maris oræ fuisse proximos.

Cujus sanguinis fuerint Troglodytæ apud veteres incertum est; Æthiopibus enim proximi, semper ab iis distinguuntur, non colore certe, quum sole exusti, fuscum corporis habitum induerint; sed corporis figura ac facie.

Juba Plinium edocuit, eos commercio oræ orientalis frui, id est, cum Arabiæ populis, a remotissimo tempore societatem quamdam prædationis agitare. Imo, locutus de Azareis, sanguinem eos cum Arabibus miscuisse contendit. Quod si Græcos interrogamus, Herodotum videmus de iis fabulantem, Aristotelem eos e simiarum genere natos mentientem. Unus autem Strabo,

quod jam ex Plinii vago sermone suspicari licebat, affirmat Troglodytas ex Arabum cum Æthiopibus connubio esse ortos.

Nunc quærendum est, qui populi hodie Troglodytas patres testentur? VINCENT Troglodytas cum gente *Barnaga*, Abyssiniam tenente, confundit. SMITH, cujus ad auctoritatem sæpius confugimus, eos in *Ababdeh* gentibus reviviscere contendit : ego vero libentius arbitrer eos, mutato nomine, factos esse *Gallas*. Etenim *Gallas*, Arabas inter et Æthiopas medii, patris ISEMBERG testimonio, pastores ac nomades, orientalem Libyæ oram tenent. In ipsis *Sondar* montibus degunt; mutato nomine fiunt *Somalis;* hic populus in multas nationes dividitur; «Miris gestibus utuntur, mysticum quiddam agitant ac vaticinum, sonos edunt confusos, et inaudita verba. Præterea constat apud eos speluncas inveniri. »

Quid melius cum Troglodytis congruat, quos scimus fuisse multiplicem populum, cui « stridor non vox; adeo sermonis commercio carent; specus excavant : hæ illis domus. »

Gentes Troglodytarum Plinius, auctore Juba, tradit Therotoas a venatu dictos, miræ velocitatis; sicut Ichthyophagos, natantes ceu maris animalia, Bargenas, Zageras, Chalybas, Saxinas, Syrecas, Daremas, Domazanes Inter quos Chalybæ nomine ferri tractandi artem in memoriam revocant. Non autem ingratum est referre, apud *Gallas*, etsi feros, artem metallorum tractandorum exerceri. Quamdam præterea consonantiam notare licet, etsi non fides maxima est habenda, inter Bargenas et *Bâri* gentes, inter Zageras et incolas regionis *Djcher*, inter Syrecas et populos *Suro* tenentes.

Hinc arbitrari licet Troglodytas *Gallas* populis respon-

dere, veteribus quidem notos ab orientali ora; imo forsan commercio ac societate junctos. Verum gravissime veteres errabant, quum iter a septentrione ad Troglodytas, quod nunquam confecerant, supputatione æstimare suscipiebant, quia solitudinum, quas nunquam transgressi erant, latitudinem immensam ignorabant.

Ad Æthiopas devenimus. Æthiopes quondam, ut hodie, in utroque Libyæ latere, infra Senegam occasum versus, infra Abyssiniam versus orientem, incipiebant; incolæ utriusque littoris veteribus noti fuere. Medii autem ac mediterranei e cæterorum Æthiopum sermonibus, nunquam e visu cogniti. Multa igitur quæ hodie miramur, de interiore Libya audiverant veteres, nihil pro certo habebant. Quum autem de forma, de immenso Libyæ tractu errarent, credebant in medium protendi solitudines inter Hesperios Orientalesque Æthiopas; hinc duæ forsan Homero scinduntur Æthiopiæ. Hanc divisionem Plinius secutus est. Quum autem permultos Æthiopas memoret, perpauci sunt Hesperii, ut Perorsi, Daratitæ, Gymnetes, Nigritæ; cæteri autem orientalem partem tenent; Œcalicas quidem et Taraleos locat ad Nigris fluminis fontes, quumque hic amnis ex occidentalibus montibus oriri compertum sit, facile credamus eos esse Hesperios. Imo, juxta illos memorat Atlantas; fateor quidem; sed et his proximos annumerat Blemyos. Blemyi autem, quum Plinius et Mela scriberent, ignoti atque fabulosi homines, postea florentissimi evasere, et ipsi quoque imperium Romanum lacessiverunt. Testis est Procopius, qui eos cum Justiniano fœdus iniisse memorat. Imo, ante Justiniani tempora, cum Romanis, imperante Decio, in manus venerant; necnon appellati fuerunt in Aureliani triumpho.

Blemyi vel Blemmyes, supra Ægyptum, non longe a Nilo, in interiore Libya degebant. Quod si reputemus binum, ut ita dicam, fuisse nomine Nigrin amnem, quum *Bahr el Ada*, Nigris affluens, Niger ipse potuerit haberi; Atlantem vero nuncupari tempore Plinii, omnes Occidentis montes, tempore Herodoti, omnes Libyæ montes, Æthiopiam que dictam fuisse, Plinio auctore, Atlantiam, atque ita posse Atlantas, ex Herodoto apud Plinium memoratos, cuilibet montium jugo incolas imponi, nihil nos impediet quin tres hos simul populos, scilicet Taraleos, OEcalicas et Atlantas ad Orientem in Libya constituamus.

Hi autem non soli sunt, qui in Oriente a Plinio memorantur; etenim summa cura rescribit omnes quos invenit Nili adcolas : Nubæos, quorum nomen et situs in regione *Nuba* agnoscuntur, Gymnetes, non iidem, etsi idem nomen gerentes, atque Hesperii Gymnetes, Symbaros ac Paluogges, intra Nilum et montes, undecimo fere latitudinis sub gradu viventes; Azachas montes ipsos colentes, Medimnos, quorum nomen servatur *Medineh*, Megabaros, sive Adiabaros, in quorum nomine vox *Bahr* non periit.

Longius progredientibus fabulæ tantum occurrunt, inter quas, etsi ridiculas, quædam lux veritatis emicat; quum enim Plinius scribit : « Ferunt certe, ab orientis parte intima, gentes esse sine naribus, æquali totius oris planitie, » nonne Hottentoti, eam ipsam Libyæ partem tenentes, fidem Plinio faciunt?

De Anthropophagis, quos Plinius inter fabulas locat, mediam Libyam tenentibus, multum disputatum est, hisce præsertim temporibus. Nulli Libyes noti sunt, in mediis terris, adeo feroces. Verum omnium indigenarum

consensu proditur tales esse in interioribus terris incolas, non animi tantum, sed corporis quoque immanitate mirandos.

Multi quæsivere quæ origo fuerit Abyssinis, qui, non Æthiopum, non Coptorum, sed Europæorum habitus formasque gerunt. Corporis autem contemplatione manifestum est Arabas esse ex vicina peninsula in oram Libyæ transgressos. Hic quoque historia geographiæ succurrit. Etenim ipse Plinius, Juba auctore, prodit accolas Nili a *Syene*, non Æthiopum populos, sed Arabum esse usque ad *Meroen*.

Hi autem populi quos videmus, tempore Plinii, ex coloniis Arabum conflatos, purum servaverunt sanguinem, ea præsertim causa, quod religionem Christi primis temporibus amplexi, semper discreti fuerunt a vicinis, nec se cum iis libenter connubiis miscuerunt. Etenim Procopius refert regem Æthiopum, dum Justinianus regnaret, Christianum fuisse.

Præcipuos Africæ populos recensuimus, ubique antiquos cum recentioribus conciliare conati, sæpiusque evenit, nisi nostra nobis plus justo placet causa, ut nostri conatus non irriti cederent. Vidimus eosdem esse hodie ac tempore Plinii Libyæ incolas, iisdem fere locis. Non quidem negandum est Libyam maximis populorum motibus fuisse agitatam, credendum imo ipsam Lybiam ab Asia incolas suos accepisse, sed quam multa sæcula ex quo eos nova illa terra accepit, consumpta sunt! Verum ex quo Plinius scripsit, non magis fere mutati fuerunt Libyæ populi, quam ipsi montes, quam ipsi loci, quam ipsa Libya.

CONCLUSIO.

Ex his omnibus duplex conclusio inferri mihi posse videtur: altera de Geographo, altera autem de Geographia.

Plinius nobis de Libya apud Romanos quærentibus utilissimus est auctor, etsi vere geographus dici non possit, simul quia in suum opus fere omnes autiquitatis fontes redegit, qui hodie exstincti sunt, et quia, natura ingenioque Romanus, ubique quid sui cives fecerint summa cura investigavit.

Quod ad Geographiam pertinet, Romani navigationibus, itineribus, commerciis Libyæ Geographiam promoverunt.

Navigationibus et præsertim Polybii Periplo, littus Oceani Atlantici usque ad Νότου κέρας, id est, ad promontorium *Palmas*, obierunt.

Itineribus interiorem terram patefecerunt. Paullinus ultra Atlantem, Balbus usque ad solitudines processit; sed Neronis exploratores usque ad Nili origines fere penetraverunt, eadam ætate qua Mauritaniæ devincebantur.

Commerciis populos, populorum ritus, animalia, fructus, opes Libyæ, etiam interioris, auditu magis quam e visu cognoverunt Romani; unde, dum incertas de mul-

tis rebus notitias haurirent, quas per se nunquam adepti sunt, nonnisi inter fabulas veritas nobis sæpius deprehenditur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, A. D. VI Cal. Mart. ann. MDCCC LIX.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ rector,

ARTAUD.

LIBYA
EX PLINII GEOGRAPHIA DESCRIPTA.

ARABIA

Surrentium (C. Blanc)

Peror si

Darathæ

Troglodytæ

Theôn Ochema

J. Michon, del.

LIBYA
EX PLINII GEOGRAPHIA DESCRIPTA.

40 30

30 30

20 20

10 10

0 0

I. Fortu
I. Canari
ATLANTICUS
OCEANUS
ARABIA
SINUS ARABICUS
Surrentium (C. Blanc)
Darat fl. (St. Jo
Salsum fl. (Sen
Perorsi
Daratitæ
Hesperu Ceras (C. Vert)
Azachæ
Troglodytæ
Theon Ochema

J. Michon, del.

